

§. VI.

DE RATIONE DIVIDENDI NOTIONEM SEQUESTRATIONIS.

SEQUESTRATIONIS autem quum variae possint esse formae, sequitur iam, ut iusto ordine eas enumeremus. Diuisio autem notionis cuiusdam in suas species (quas CICERO <sup>a)</sup>) formas adpellat), quae in arte omnino abesse nequit <sup>b)</sup>, tum demum perfecta videtur, quum, qua ratione facta illa sit, adpareat. Nam, quum genus quoddam in formas suas distribuimus, id agere debemus, ut, quae in genere, quod omnia amplectitur, quae eidem sunt subiecta, communia sint his omnibus, ea, adiectis aliis rebus, cuius formae et parti propria efficiamus. Quare omnino opus est, si omnia debent in arte penitus perspecta, planeque cognita, atque ab opinionis arbitrio seiuncta, scientiaque comprehensa esse, ut in quavis diuisione adpareat, quid sit illud commune, cui iam quid adiici-

mus,

a) in *Topicis* c. 7. f. 30. Licet autem ibidem f. 31. dicat: *Formas qui putat idem esse, quod partes, confundit artem: et similitudine quadam conturbatus non satis acute, quae sunt discernenda, distinguit, ipse tamen facillime partes quoque dixit pro formis, v. c. de Inuent. L. 1. c. 22. f. 32. genus est, quod plures partes complectitur, ut animal. Pars est, quae subest generi, ut equus, quae totidem verba repetiit ibid. c. 28. f. 42. et paullo aliter Lib. 1. de Orat. c. 42. f.*

189. Ita quoque *modi partes* esse dixit prudentiam et imprudentiam, *imprudentiae*, inscientiam, casum, necessitatem *de Inuent. Lib. 1. c. 27.*

b) Nam CICERO *Lib. 1. de orat. c. 23. f. 109.* ex eo probat, artem esse dicendi, et oratoris, quod in ea, quae animaduersa sunt, verbis designata, generibus illustrata, partibus distributa fiant, licet, si ars definiatur strictè, ut supra *ib. c. 20. f. 92.* neget, artem oratoris esse ullam.

E